



inse<sup>t</sup>antium rebus insistant, atque intelligent, quid quisque eorum concedat, quid abnuat? et tunc rem suam ex positis quasi atque concessis concludat. Quae duplex via, a cau<sup>s</sup>a nostra inimicitias repellendi, quamuis vtraque demum possit fieri, vt ad felicem exitum per veniamus, earum tamen quaelibet suos et proprios hostes supponit suisque quasi et propriis se commodis nobis commendat. Quum enim via posteriori pertinaces quoque et duriores rerum nostrarum vituperatores coercere queamus; prior, si solam ingrediamur, aequiores, solutiōres modo et liberiori iudicio obiurgatores castigat. Ne dicam de ambagibus, quibus inuoluimur omnibus, si arcem via priori defendamus. Aleae enim plerumque opus est, in argumenta alterius descendere et eum de allatarum rationum infirmitate velle conuincere. Conantur nostras labefactare rationes. Tueri ergo illas debemus. Opponunt suas nostris. Repelli a nobis debent. Contra in re vtraque nobis dicunt. Ergo nostrum est, vt excipiamus. Regerunt. Nos ad regesta respondemus. Tandem ad verba res relapsae sunt.